

conspirat, nisi latè & minùs accuratè ea sumatur. Est autem non quidem inter res & res, attamen inter talia quæ virtute & fundamento ut distinguantur efficiunt. Et est quasi media quædam, non tanta quanta realis, nec tam exigua quanta secundùm rationem. Vid. de ea *Suarez. Diss. 7. Metaph. Sect. 1. n. 6. Fonseca lib. 5. Metaph. c. 6.* Cave autem ne ex Natura rei idem tibi sit quod ex parte rei, quasi citra mentis nostræ operam in re sit diversitas, sic enim Realis esset, sed prout occasione à re datâ ad distinctos & inadæquatos conceptus provehimur. Sic explicat *Javell. lib. 12. Metaph. quest. 19.* It. *Combach. in Metaph. Et ex his Scheibl.* Quomodo autem differat à distinctione Rationis rationatæ solidè explicat *Dn. D. Scharff. Diss. XIV. Theor. Transcend. n. 43. & seqq.* Ad partes igitur eorum rationibus moti accedimus eamq; defendimus. *Medali* modus à modo l. à re separatur.

XXVII. Sed nec res istæ reali distinctione discernendæ ultimè prorsus conveniunt, sed ulteriorem adhuc inter se habent discrepantiam, Igitur & realis distinctio in tria membra subdividi potest & debet, scilicet in *Realem tantum* seu in specie sic dictam, estq; ea rerum in una essentia convenientium, numero verò distinctorum: In *suppositivalem* quæ est inter diversa supposita, sive sint unius speciei, sive non. Notas hujus distinctionis, de quibus discrepant Authores, vide apud *Suarez. Diss. VI. sect. 2.* It. apud *Fonseca. lib. V. Met. c. 6.* Nec non *Scheibl. lib. I. c. 8. §. 21.* è quibus genuinæ & optimæ sunt 1. diversitas Causæ Efficientis & Effecti 2. producentis & producti. 3. Suppositorum; Et deniq; in *Essentialem*, eorum quæ & re & supposito & præterea etiam essentia differunt, hæc enim ultima species duas præcedentes includit quasi & præsupponit. Igitur procedit quidem, essentialiter distincta distincta etiam esse realiter, sed non contra. Patec id in Personis Divinitatis, quæ realiter quidem sunt distinctæ, in una tamen essentia convenient. *Aristot. VIII. Top, c. 1.* realiter distincta vocat, quæ essentias habent separatas seu mutuò separabiles. Ejo verba sic habent: Amplius si alterum potest esse sine altero non erit idem; Impossibile enim est idem omninò à se sejungi ac separari à parte rei & manere idem.